



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,  
Librosque undecim complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput X. Gradus, per quos luxuria homines paulatim perdit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

Cacitatem, & passionem vehementem *inconsideratio & precipitatio*, seu prudentis deliberationis defectus naturaliter subsequitur.

136 *Inconstantiam* hominis luxuriosi, subinde decernentis à luxuria recedere, vel ipse Terentius Ethnicus deidet, loquens de Eunuchio quodam, qui dicebat se recessurum ab amica: *Hæc verba una falsa lachrymula resstringet.*

137 Amorem etiam sui, presentisque sæculi, ex luxuria nasci, constat ex eo quod isti vitio impliciti, finem suum ultimum ponant in carne sua, obscœnisque illius ac presentis sæculi voluptatibus, quas aded deperunt, ut aliam beatitudinem non quærent, si iis semper perfrui possent. Dicunt enim cum iis de quibus Sap. 2. *Venite ergo, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter.... nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.... & hæc est fors.*

138 Atque hinc tandem profluit odium Dei, luxuriam prohibentis ac punientis, horrorque vel desperatio futuri sæculi. Eo quod ex una parte nihil ibi luxuriosus expectet nisi gehennam, luxuriosis præparatam; ex alia parte ipsi impossibile videatur carnis voluptatibus nuntium omninò remittere; impossibile proinde gehennam vitare, & ad gaudia æterna pervenire. Inde ergo horror & desperatio in ipsius voluntate, juxta illud: *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia.*

CAPUT X.

*Gradus, per quos luxuria homines paulatim perdit.*

139 Sanctus Antoninus p. 2. tit. 5. c. 1. §. 4. dicit, quod sicut ignis paulatim consumit templum; ita & luxuria hominem. *A cogitatione turpium incipit, & nisi statim resistatur, ulterius procedit. Progressus autem luxuria fit per septem gradus. Primus est sensualis complacencia toleratio. Secundus est morosa delectatio. Tertius est in actum consensus. Quartus, impudicus aspectus. Quintus, turpis confabulatio. Sextus, libidinosâ contractatio. Septimus, operis expletio.*

140 Paulò aliter Glossa in Job. 31. *Visum sequitur cogitatio; cogitationem delectatio; delectationem consensus; consensus opus (primò imperfectum per turpem locutionem & contractationem; deinde perfectum per consummationem) opus sequitur consuetudo; consuetudinem necessitas; necessitatem desperatio; desperationem damnatio.*

CAPUT XI.

*Septem species luxurie.*

141 Septem luxurie species à Doctoribus communiter assignantur, *fornicatio simplex, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam.* Nec dissentit S. Thomas, licet 2. 2. q. 154. a. 1. ad 3. sex tantum species enumeret, sacrilegiumque ad adulterium reducat. Hoc enim ideò facit, quia *mulier vovens continentiam, quoddam spirituale matrimonium facit cum Deo; & ideò sacrilegium quod committitur in violatione talis mulieris, est quoddam adulterium spirituale.* Solùm proinde quoad vocem discrepat ab assignantibus septem species; *adulterium spirituale* appellans, quod alii *sacrilegium* vocant. De quo propterea seorsim ab adulterio S. Doctor differit ibidem a. 10.

De istis omnibus luxuriæ speciebus ad sextum Decalogi præceptum tomo sequenti, Deo dante, copiosè disseremus.

CAPUT XII.

*Remedia luxurie.*

Quemadmodum Medicus corporalis ad 142 prudenter præscribenda remedia morbi corporalis, inquirere debet radicem ex qua morbus provenit; ita proportionaliter Medicus spiritualis. Radices verò luxuriæ esse solent, vel 1.º. cohabitatio certarum personarum, præsertim diversi sexus, vel certi consortii frequentatio; vel 2.º. maligna quædam complexio naturæ specialiter proclivis in venere; vel 3.º. prava consuetudo, seu habitus per plures actus venereos præcedentes contractus, ad similes actus inclinans. Et remedium quidem generale ad comprimendam luxuriam, est tum oratio fervens ac frequens ad implorandum divinum auxilium, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det;* sicut & custodia sensuum tam externorum, quàm internorum: quia *mors intrat per fenestras*, Hierem. 9. ac specialiter per oculos. Thren. 3. *oculus meus depradatus est animam meam*, prout expertus est David oculos conjiciendo in Bersabeam. Per aures item, quia *corrumpunt mores bonos colloquia prava*, 1. Cor. 15. Tum etiam munimentum cogitationum sanctarum. Scriptum est enim: *cogitatio sancta servabit te.* Et fuga otiositatis, ut nos semper diabolus inveniat occupatos, ne ex otiositate nostra aliquem intrandi aditum ad animas nostras valeat invenire.

Præter generalia tamen illa, si luxuria ex 143 prima radice proveniat, occasio illa deferenda est, si licite fieri possit, juxta dicta de peccatorum occasionibus supra, non obstante quòd ista desertio incommodum adferet temporale. Quia, uti sapienter ait Vincentius Caraffa septimus Generalis Societatis apud P. Danielem Bartholi in ejus vita l. 2. c. 13. *minimum dubitationis de salute æterna (minima proinde probabilitas periculi de ea amittenda) debet homini esse pluri certissimo periculo, ingentique rerum temporalium lucro.*

Si verò proveniat ex secunda & tertia radice, adhibendæ sunt carnis macerationes.